



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis  
Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et  
Justitiae, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in  
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus  
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum  
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque  
omnibus in utroque Foro ...

Tractatus Primi Pars I. de Usuris, & interesse, Pars II. de Cambiis, Pars III.  
de Censibus, Pars IV. de Societatibus Officiorum

**Luca, Giovanni Battista de  
Coloniae Agrippinae, 1691**

Disc. I. Perusina Societatis officii. An societas officii lucro locus per mortem  
ejus, sub cuius vitæ periculo posita est, si de tempore, quo inita fuit,  
ignaris contrahentibus, talis persona erat ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74112](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-74112)

# DE SOCIETATE OFFICII DISCURSUS PRIMUS.

PER VSINA SOCIETATIS OFFICII

PRO  
JACOBO ARGENTEO  
CVM  
ALMERIGIS.

*Responsum pro veritate.*

An societatis officii lucro sit locus per mortem ejus, sub cuius vita periculo posita est, si de tempore, quo inita fuit, ignaris contrahentibus, talis persona erat graviter infirma, & in subsequente mortis periculo constituta.

## S U M M A R I U M.

- 1 **C** *Ajus controversiae.*
- 2 **C** *Actus gestus cum falso presupposito corruit.*
- 3 *De casibus exceptis, in quibus cest lucrum sortit.*
- 4 *Deratione, ob quam mors violenta excipitur.*
- 5 *Habens facultatem eligendi sen nominandi, si non minat mortuum vel moribundum, eam non consimil.*
- 6 *Solvens adjecto, quem scit mutasse statum, male solvit.*
- 7 *Acceptans litteras cambii ante necatur si scribens decxit.*
- 8 *Vendor mercium quando etiam sine reservatione domini praferatur creditoribus anterioribus.*
- 9 *De aliis similibus, in quibus alius habetur pro infecto ob deficientem consensum.*
- 10 *Quod creditor ad versus lucrum pecuniae date ad Societatem succurratur beneficio restitutio in integrum, vel laisonis.*
- II *In dubio pro exclusione lucro.*

## D I S C. I.

Ub die 2. Septembris Argentens in Urbe init societatem officii sub periculo vita Caroli filii in Civitate Perusii existens, qui tunc graviter infirmus post quatuor dies obiit, quarè interrogatus per quendam insignem Cardinalem, quid in isto casu sentirem, an scilicet per talem mortem factus esset lorus lucro dictæ societatis, Respondi sequitur.

Individuorum notitiam magnæ eruditioñis & laboris effectum, sapè quotidiana experientia docet, partum esse casus & fortuna; Quantum ergo videre licuit, casum controversum in individuo tam non inveni. Quarè procedendo cum regulis & principiis generalibus cum quibus deficiente particuliari decisione majorum nostrorum exemplo procedere docemur, pro certo respondendum censeo pro lucri exclusione, vel ratione consensus deficientis, vel ratione casus ex partium verisimili-

*Card. de Luce de Censibus Pars IV.*

intentione exceptuati; Certo enim certius est Io. Jacobum contraxisse societatem sub periculo vita Caroli eius filii verisimiliter attento ordine naturæ plus vixuri, cum praesupposito, quod esset sanus, Si enim cogitassem illum tunc in pericolosa infirmitate, ac morti proximum reperiri, utique eum non nominasset, Ideoq; dicēdus est contractus vel actus gestus cum falso praesupposito, cuius ratione ex deficiente consensu corruit ac habetur pro infecto, cū nunquam animus, seu voluntas trahatur ad ea ignorata, qua cognita verisimiliter gesta non essent. *cum putarem ff. famili. ercise. cum concord. per Duran. dec. 373. num. 4. & II. Rotain Bonon. nullitatis concordia 12. Junii 1645. corami Cerro & in aliis.*

Quod autem hoc fuerit praesuppositum Jo. Jacobi, quodque si casum scivisset, vel etiam cogitasset, id non egisset, probat nedum ipse sensus naturalis, sed etiam contextus contractus, in quo exceptuanrur, non solum casus mortis violenta in communis formula apponi solitus, sed etiam alter febris qua nuncupatur *perichialis*. Si enim fibi voluit præcavere nedum de casu mortis violentæ, sed etiam naturalis ex causa dictæ febris, multo fortius dicendum est ejus animum nullo modo dirigi potuisse ad nominationem constitutio articulo vel in proximo periculo mortis; Talemque animum aperte comprobat subita mutatio personæ post habitam notitiam infirmitatis, Animus enim & voluntas non magis verbis quam factis probatur ex deducibili per Gregor. dec. 163. 239. & 247. ubi Addenda que ex præcedentibus ac subsequentibus optimè concluditur Greg. dicta dec. 239. num. 5.

Et quemadmodum in casu mortis violentæ cessat lucrum, non ratione tollendi occasionem insidiarum, ut male censuit Boccacc. sed ratione deficienteis consensus, *ut in voto Seraph. impress. apud Zach. de societ. dec. 46. num. 8.* & est alias certum, ita & fortius cessare debet in præsentis, in quo clarius ac verisimilius abest consensus contrahendis. Atque sicut creditore nominante mortuum, nulli dubium est quod contractus esset imperfetus & invalidus, ita dicendum est, dum nominavit constitutum in mortis articulo, qui mortuo assimilatur

## 2 DE SOCIETATE OFFICII

latur ad text. in l. quasitum ff. de jud. ubi communiter DD. & in l. cum in statu §. si amboff. de donat. inter vir. & uxor. cum concordant. de quibus Fenius in tract. de momento temporis c. 6. Rip. de actibus in artic. mort. c. i. n. 2. & 3. cum seqq. cum aliis quæ in proposito moribundi, seu constituti in mortis articulo habentur in Romana augmento i de Bolognetis sub tit. de dote dico. 27.

Hinc propterea habemus, quod habens facultatem eligendi & nominandi, vel similem expirantem in primo actu, si eligit, vel nominat mortuum, vel moribundum, aut aliás ex errore gerit actum, qui inutilis est, ac effectum non fortuit, non privatatur tali facultate, sed actus præcedens habetur pro non facto, quories abest dolus vel culpa facientis, ut ad limitationem textus in l. boves §. hoc sermone ff. de verb. signif. plura colligit ibidem Tiraquell. limit. I. & limit. 21. per totum.

Et magis proximè, si quis manderet suo debitori, ut pecunias solvat Cajo absenti, qui reputatus ab adjiciente integra fidei detegatur de coactus, utique debitor tali adjecto solvens male solvit, si sciat mutationem status, quām tamen inquiret non tenetur, non alia genuina ratione, nisi quia voluntas adjicientis trahi non potuit ad hujusmodi casum, quem si cogitasset, utique ita non mandasset Stracc. de adject. par. 3. num. 59. & 110. Capyc. Latr. dec. 8. n. 3.

Item mercator, cui diriguntur litteræ cambii alii, cui solvenda, illas acceptans cum prætupposito, quod scribens esset in valido statu, non tenuerat ad solutionem, atque acceptatio illum non obligat, si de tempore acceptationis ille mutaverat statum, dictaque mutatio verisimiliter erat acceptanti ignota example deducit. dec. 345. par. 5. rec. in Romana litterarum Cambiis 16. Martii 1640. coram Coccino, in Romana seu Neapolitana litterarum cambii 9. Junii 1653. Dunozetto inter suas decis. 9. 40. Merlin. controv. II. centur. 2. Rot in Romana seu Neapolitana litterarum cambii 13. Aprilie 1668. coram Albbergato, in quibus habentur concordantes, quod latius agitur sub tit. de Cambiis, in Rom. litterarum cambiis seu Bonon. dico. 20. & in dicta Romana, seu Neapolitana pro Salutio dico. 25. & in aliis, idque non alia ratione nisi consensus deficientis in acceptatione.

Insuper certajuris conclusio est, quod venditis mercibus habita fide de pretio, illarum dominium transfertur in emporem, adeo ut si postea iste deficiat, ejus crediteores anteriores super illis præferantur eidem priori domino & venditori, sed si empator de tempore emptionis erat decoctus vel decoctioni proximus inicio venditore, qui bona fide illum putabat idoneum ac fidelem, tunc propter deficienciam consensus vendendi, fidei que habendi, non transfertur dominium, atque vendor est alius potior in suis mercibus, ut plenè discutio articulo, & omnibus opinionibus recentis probat Gizzarell. decis. 62. & habetur subtit. de credito.

Et conferunt ad probandam verisimiliter deficienciam consensus, quæ notantur per Franch. decis. 115. de sponsione super casu, qui tunc jam evenerat. Atque bene congruit simile de assecratione navis jam naufragata ob eandem rationem deficiens consensus ex deducit. per Greg. decis. 126. n. 5. & per tot. Ac faciunt etiam, quæ in jure notantur de actione redhibitoria circa emptione rei, quæ reputata valida detegitur infecta & defectiva, pluraque similia dari possunt, in quibus de jure statutum est, actum gelsum præter intentionem haberi pro in-

fecto, quoniam actus voluntarii non plus obligant vel operantur, quam voluntas est atq. actus agentium ultrà intentionem non operantur; Vnde propriètate firmiter dicendum videtur, contractum societatis ex defectu consensu circa nominationem periculi esse imperfectum & invalidum, proindeque cessare lucrum.

Et quatenus etiam contractus perfectio prætempore posset, adhuc tamen succurrendum omnino veniret creditor, Vel beneficio restitutionis in integrum competenti etiam majoribus ex clausula generali, si qua mibi in statu causa, propter ignorantiam dicta periculosa infirmitatis, cum de jure non dubitetur probabilem & justam ignorantiam mereri restitutionem ex deducit. per Odd. de restit. in integr. quas. 8. Vel ex capite lassionis enormissimæ, qua resultaret creditori ementi cum sua pecunia periculum vitæ nominati, maximè enim lassivum, atque ab omni æquitate alienum est, ut sub periculo vitæ moribundi, ac in letali infirmitate constituti, creditor totius fortis jacluram, debitor autem adeò ingens lucrum sine probabiliti periculo facere debeat, cum absolutum sit apud legistas, canonistas & morales in hujusmodi contrahibus sola periculi ratione licitus, lucrum esse debere proportionatum periculo, atque periculum lucro, ut in materia sponzionum communiter tractant.

Et tandem sufficere videtur per hæc animum iudicis reddi dubium, ut in dubio pro exclusione lucriveniat judicandum favore creditoris tractantis de damno vitando, non autem debitoris contentis de lucro captando Zaub. de Societ. num. 429. Cavaler. dec. 220. & 239. uirobique in fine.

## ROMANA SOCIETATIS OFFICII

PRO

SFORTIA CESCARINO

CUM

GASPARE CHRISOSTOMO.

Casus decisus per Rotam pro Chrisostomo.

De lucro societatis officii per mortem ejus, sub cuius vitæ periculo contrafacta est, An & quando impediatur ob non præstitum fidei usiorem, vel aliud non implementum, Et quando istud remissum censeatur.

Tempus initæ societatis quomodo sit computandum, & quando incipiat. Et an per diversam observantiam solvendi fructus censeatur novata prima conventione.

SUMMARIUM.

<sup>1</sup> F Acti series.  
<sup>2</sup> F Lucrum impeditur per non implementum quia debitor ex contractu non adimplere non debet facere lucrum.

3 De-